



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In Funere mulieris nobilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

## In Funere ejusdem.

Videris hoc corpus defunctæ, non eripuit à morte nobilitas, non steromata hæc &c. Solum dicere possumus *Mortua est Rachel*. Dilecta marito suo, Gen. 29. &c. Quid Jacob mortuæ Racheli Gen. 35. *Erexit Jacob titulum super sepulchrum Rachel, titulum monumenti usque in præsentem diem*. Machinæ sepulchrales sunt tituli, sed non durant, talem erigamus qui perenner.

Tres titulos præcipuè defuncta N. habuit, sed duo transierunt, tertius manet & manebit. Jacobi titulus quam erexit fuit lapis grandis, & illi inscripsit verbum Hebraicum, ut testatur Reuchl. in lib. 3. de symbolis Judæorum, *Bethmalon*, hoc est, *Domus hospitii*. Hanc domum in tres partes divisit, prima erat *Chatler*, hoc est, *atrium*. Altera, *Lischchau*, hoc est, *triclinium*. Tertia, *Beth schenah*, id est, *dormitorium*. Prima pars Atrium, est in vitam ingressus, hoc apud plebejos vacuum imaginibus, sed utcumque aliquis nascatur, tamen in atrio, & quisque si desint stemmata, potest illud exornare virtutibus, tamen si desit nobilitas, erit qui dicat. 1. Reg. 25. *Quis est David & quis est filius Isai & hodie increverunt servi qui fugerunt dominos suos*. Jacob ergo inscripsit atrium, ut judicaret genus Rachelis, & hoc erat. Rachelem genuit Laban, Labanum Bathuel, Bathuelem Ochofad, Ochofadum Aledat, &c. Mater Rachelis erat Zelepha, Zelephæ Helda nurus Rebeccæ, Heldam Aludita &c. Simili modo pono genus defunctæ, his atrium orno. Sed his non contenta N. addidit Majorum virtutibus suas, de illa potest dici, quod scripsit Ambr. de S Agnete. *Vidi corpore juvenulam sed senectute mentis immensam*. Egit juxta præscriptum S. Aug. *Sic sermo virginis prudens,*



prudens, modestus, & rarus: non tam eloquentiâ pretiosus, quam pudore speciosus; mirentur omnes eâ tacente verccundiam, eâ loquente prudentiam. Nec mirum quòd talis fuerit, quia bonam Matrem habuit, edocta ab illa se domi continere, Ambr. de Virgin. *Virgo non debet esse vulgaris, non in foro, non in plateis, non esse voce querula, gressu lubrica, auditu facilis, aspectu vilis.* Didicit prudentiam. Ambr. in Luc. *Trepidare Virginum est, ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.* Didicit devotionem. 1 Cor. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat qua Domini sunt, ut sit sancta mente & corpore.* Didicit concentiones fugere. Ambr. de Virgin. *Claude virginitatem modestiâ loquendi, & abstinentiâ litigandi.*

Altera pars, triclinium. Hoc ingreditur Virgo cum nubit, sed turpe si mulier ipsa irumpat in hoc triclinium, Isai. 14. *Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die dicentes: panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocatur nomen tuum super nos.* Expectet in atrio sicut Esther apud Assuerum. *Stetit in atrio domus Regie, cumque vidisset Rex eam stantem, placuit oculis ejus, & extendit ad eam virgam auream quam tenebat manu, tunc accedens osculata est summitatem virge.* Dedit illi ut uxori virgam auream non quernam, ut attineret summitatem: non inum, ne despectui haberetur. Prius sponsus loquatur cum Parentibus sponsæ. Cant. 8. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est si murus est, ædificemus super eum propugnacula; si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis.* Adhibet ad acquirendam velut arcem artes militares, non ipsa se offert. Judic. 5. *Nova bella elegi: Dominus.* In quod Theophylact. *Antiqua bella sunt furoris; nova bella sunt amoris: ubi amor depugnat, unum cor de altero triumphat.* In hoc bello capitur uxor, tum primò Rachel ad triclinium ducitur. Introdacta fuit N. defuncta in domum, & secum suum genus



ac virtutes intulit, Gen. 24. *introduxit in tabernaculum Sarae Matris suae.* In illo trichinio tituli, Jacob sua gesta delineavit, Quomodo cum Angelo luctatus? quomodo illi dicitur, Gen. 32. *Non vocaberis ultra Jacob sed Israël.* Sed quare Jacobe non depingis tuæ uxoris gesta? Quia uxor non sua, sed mariti considerat gesta. Videte Mariti quæ uxori- bus proponatis; tamen Mariti in uxorem defluit. Si ille Nobilis, & illa, &c. In trichinio res agitur, ad suum locum vir invitat, *Accede & tange sceptrum.* Ruth. 2. *Extende pallium tuum super me, quia propinquus es mihi.* Extende titulos &c. Non depingam tua Marite N. gesta, nota sunt, tam in pace quam in bello, ecce omnia collecta sunt in tumultum. De illa ipsa, quare quod S. Franciscus Borgias Dux Gandiæ de Imperatrice Isabella. *Hæcne illa Isabella?* Viderat illam post magnam formam, maximè in tumba deformem. Dicam: Tunè es talis? Illa in Dignitatibus &c. O mors hæc mutasti! Eccl. 10. *Cùm morietur homo, hæreditabit tantum vermes, bestias, & serpentes.* Titulus hic fuit mundanus, non duravit. Sed cur Jacobe uxorem tuam appellas toties ovem, id est Rachelem? Fuit ovis aurea N. Ovis uxoris symbolum, ita Nathan describit uxorem Uriæ Bethsabeam 2. Reg. 12. *Parvula erat, licet genere magna & virtutibus, memor moniti S. Chrysostr. in Polycrat. lib. 3. Quisquis gradus propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum in moribus diligentissimè teneat; nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis fastigio tumore cadit.* Hæc Ovicula erat à DEO Prov. 14. *Domus & divitiae à Parentibus dantur, à Domino autem uxor prudens.* Illi serviunt verba ulteriora Nathan. *Creverat in domo ejus.* Non in domo quidem Mariti, sed ut Hieron. ad Paulin. *Creverat non annis sed palmis, non numerositate dierum sed operum, non ætate sed integritate, statura ejus est assimilata palmæ.* Non succubuit oneribus familiae, floruit in matrimonio, & fru-  
ctus

ctus



Deus dedit ut quondam Sara filia Raguelis Tob. 10. *Osculati sunt eam, & dimiserunt eam; monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsum irreprehensibilem exhibere. Hæc omnia illa implevit. Testatur Maritus, Affines. Ovicula de quo Nathan. De pane ejus comedit &c. Hæc est concordia Conjugum. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram DEO & hominibus: Concordia Fratrum, amor proximatorum, vir & mulier bene consentientes. Dicit Nathan, quod illius ovis de eodem pane comederit, quia uxor debet iisdem esse contenta quibus vir, ita debent vivere, ut Cassiod. in epist. *Jacob & Rachel quasi jugales. Rachel quod è domo habebat, augebat. Jacob in baculo uno exierat, in duobus turmis redibat. Quare? quia iisdem contenti erant, erat amor, Rachel erat sicut filia. Rapta est à te ista ovis ô Marite,**

Tertia pars, Monumentum, est dormitorium. Transitriculus atrii Pl. 48. *Homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Jam stemmata vestra lucere desinunt, quia sub terram abeunt, & simul vos sub eandem deducunt. Alium titulum Defuncta N. assumet, qui manebit. Ex sepulchro S. Bolgarie Ducissæ Cremonensis, ut scribit Historia tripartita, prodiit arbor cedrina cum furculis triplicibus. Alius erat balsami, & hic notabat ejus pietatem: alius olivarum, & hic misericordiam in pauperes: alius cupressi, & hic felicem mortem. Hæ tres virtutes in Defuncta reperiuntur. Fuit devota, confitebatur &c. Legebat, aderat concionibus &c. Confraternitates, jejunia. Hæc fuit virga balsami, inciditur balsamus ut gratior fluat liquor, illa se flagellis incidebat, hic furculus erat cedro insitus, quia 1. Cor. 15. *Charitas nunquam excidit. Eleemosynæ notæ, hæc sunt ramus olivarum, & cedro insitus, quia Eccl. 17. Eleemosyna gratiam hominis quasi pupilla conservabit, & postea resurget, & retribuet retributionem**

unicuique



unicuique in caput ipsius. Quare Defunctæ scribitur in cœlo titulus. Jer. 11. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen ejus.* Erat ramus cupressi, sanctæ N. Mortua, usâ SS. Sacramentis. Maritum deprecata, valedixit. Hæc planta est cupressi, sed cedro insita. Illi cœlum adscribit. Eccl. 24. *Sicut cupressus in monte Sion, & hic repeto illud Jacobi. Hic est titulus monumenti Rachel usque in presentem diem.* Talem titulum quaratis, qui non in verbis sed rebus consistit, & vobiscum manebit. Aliis titulis nites ô Defuncta, sed hic illustrior quem dedit vita bona, ex hoc noscêris in regione æterna. Grave nobis est resum dividi, lugent Fratres &c. Solatur bona vita, quia tamen 1. Cor. 3. *Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Fiunt pro Defuncta preces &c. Gratias vobis hæc facientibus, & per nos illa Christum precatur, Da requiem &c.

### In Funere Mulieris Nobilis.

**C**UM educurus esset populum Moyse ex Ægypto, præscripsit illi DEUS Exod. 3. *Cum egrediemini non exhibitis vacui, sed postulatibit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios ac filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.* Moyse insuper, Exod. 13. *Tulit Moyse ossa Joseph secum reliquias.* Et in via, ut scribit Josephus, Antiq. lib. 5. Jam arca præcedebat populum, jam ossa Joseph, aliquando aut illa, aut hæc sequabantur, habemus ossa Defunctæ, &c. Ego solabor his verbis Gen. 35. *Mortua est Rachel &c.*

*Mortua est Rachel, Mortis memoria & ingrata, & frequens, & ubique scripta in homine: Memento homo quia pulvis, &c. In aqua, 2. Reg. 14. Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur. In vento, Job. 7. Ventus est vita mea. In avibus, Ecclef. 1.*

R

Omnes